

Bibliothèque numérique

medic@

**Bernard, Jean-Auguste - candidat /
Laubry, Jacques-Ambroise -
président. - An Diluentia, in affectibus
Melancholicis purgantibus
ptaeferenda ?**

1790.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°181***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0181](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0181)



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis septimâ
mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LXXX.*

M^o. JACOBO-AMBROSIO LAUBRY, Doctore Medico, Præfide;

An Diluentia, in affectibus Melancholicis purgantibus præferenda?

MELANCHOLICO morbo nihil frequentius, sanatu difficilius nihil.
Hic à mente oiundus, mentem mille modis cruciat. Homo, quæ patitur
cæteris animantibus præcellit, eâ ipsâ, morborum insultibus magis patet.
Imò qui, vel meditando, vel in artibus ediscendis, vitam collocant suam, di
plerumque sunt infelicioris valetudinis. Hosce, ferè omnes, Melancholia
lentè consumit. Non mœror solus aut labor improbus, assidueque vigiliæ lignum

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

2

Melancholiam, illa, & ab immodica lætitiâ, quis credat? & ab otiosâ quiete ortum repetit. Amor vehemens, insolens cupiditas, invidia, ut plurimum certa sunt, aut præsentis, aut mox futuræ Melancholiæ signa. Ab his animi affectibus, sensim aut subito, labascit functionum integritas. Scilicet fibrarum robur atque elaterium debilitantur, earum oscillationes viciantur. Motus alterni sanguinem, & parcius & ignavius, impellunt, attenuant, elaborant præterlabentem. Hinc omnis corrumpitur secretionum ordo. Hinc sanguis ipse languidius actus, ultro spissatur, acoremque innumerabilium ægritudinum fontem inexhaustum contrahit. Quin imò, hic suo volatili balsamico defraudatus, ut iners limus, stagnat in vasis. Mirum quot inde sobolescant symptomata, quæ miseros mortales distorquent. Mens vanis imaginibus deluditur. Depascitur corpus omni dolorum genere excruciatum. Qui ubi cogitationi semper affixus, aliquando & diu sine febre, delirat, is Melancholicus habetur. Morbificus humor adhuc delitescit in venis. Visceribus mox ille cohærebit, nisi in eo depellendo quamprimum invigiles. Totis igitur viribus succum abluere noxium. Exit sponte sua succus, quantumvis sit tenax, si sat bene diluatur. Hæc præferenda sunt remedia quæ tutius morbum sanant.

I I.

MORBUM hunc simplicem ne crede. Gradus ille habet, inter se, longè diffitos. Succus acescens minimis in vasis, dum vis circuitus abripitur in majora vasa, totam sanguinis massam æqualiter inficit. Hinc primus Melancholiæ gradus. Vigente causâ, crescit succi depravati moles; inspissatur ille magis & in vasis hypochondriacis depositus hæret. Hic majorem ruinam minatur. Horrenda per symptomata ille se manifestat. Reverâ non accidit quin in vasis hypochondriacis jam fixata compactaque morbifica materies, diu hæserit. Fiunt inde obstructions ubique, stagnans lymphæ acescit, æoles ejus aggeritur, extenduntur vasa, roduntur. Hinc viscerum abdominis ingens alteratio, vicinorum fors non beatior. Respirationis organa malè se habent. Per consensum obruitur caput, & inquinatis spiritibus, omne genus manie suboritur. Ægrorum alii se vitreos autumant, neque quidquam tangere audent, ne ipsi confringantur. Alii se mortuos credunt, atque ob id se ab omni potu ciboque interdicunt. Illi se aliquo membro carere existimant, neque ullo modo eo uti volunt; illi se in bruta mutatos putant. Quid non efficit tardus & acescens sanguis? quæ symptomata, si visceribus ille semel inhæserit?

OPPUGNETUR ab initio tot morborum ferax humor, radix mali præcidatur. Sed, quâ ratione præteris, cave. Succus crassus atque acore imbutus durum non patitur imperium. Medicamenti vim facile eludit. Quò tenacius partibus inhærescit, eò ferocius, si cogitur, sævit. Curationem eva- cuantibus, vel quidem levissimis, tentaverit; humores sani & facile mobiles soli expellentur tenaces, verò magis hærebunt. Hinc pejor morbus. Stimulantia aut valde solventia exhibe, materies subito soluta fiet acris, & impetu magno irruens in tenera hypochondriorum vasa, ea destruet. Inde multa & immedicabilia mala. Alterantia quæ humores vehementer exagitant, non minus asferunt damnum. In hoc morbo diluentia cæteris præstant medicaminibus. Confertos sanguinis globulos dividendo, emolliendoque fibrarum rigiditatem,

3

tutius illa Melancholiam sanabunt. Melancholicorum fibræ salium aculeis indefinenter punctæ rigent, & in spasum maximè propendant, sanguis ipse malè cohæret. Pars globosa fixioribus imbuta salibus arescit, vehiculum suum lympham exprimit. Lympha subtilioribus saturata, proinde partibus enutriendis inepta, huc illuc, per membra dolores latura devagatur, diluentia hæc sunt quæ lubricis volubilibus ac globosis constant particulis. Quid felicius, rigentes fibras laxare partiumque sanguinis miscelam restituere potest, quàm medicamenta, quibus tanta inest cum sanguine affinitas.

I V.

QUÆ sit diluentium cum sanguine proportio, ex utriusque naturâ abundè patet. Ex indole morbi, quanti sit momenti in affectibus Melancholicis diluentium usus facilè dignoscitur. Sanguis geminâ partè constat, alterâ rubrâ, albâ alterâ. Hæc tenuis & lubrica, illa glabosa & volubilis admodum, utraque, in statu sanitatis, amico nexu unitur, utraque, solidorum verberibus, æqualiter subjecta, perenni circuitu volvitur. At verò in Melancholico morbo, eoque ideâ tristi potissimum oborto, constringuntur fibræ. His contractis, languidè & inæqualiter pulsatur sanguis. Necessariò igitur tardescit ille & spissatur, à tarditate sobolescit aciditas, quæ noxias acquirit vires eundo. Acor cruoris globos cogit in unum, densat, indurat. Hi ergo ad motum sunt inhabiles. Segregantur à lymphâ, in quâ prius natabant, & ex quâ suam mutuabantur volubilitatem. Ecquid, partes sanguinis morbo dissociatas, aptius consociare valet, quàm diluentia, quorem particulæ sunt, sanguinis particulis miscendis tenuandisque, tam habiles? Rigent fibræ? Quid eas jucundius tutiusque laxabit, quàm liquidum dulce & salibus mergendis idoneum? Diluentia nascentes arcent spasmos, & acorem quemvis obtundunt. Hæc fluida pandendo dividunt, solidaque humectando & emolliendo relaxant. Diluentium nomine, sola intelligenda veniunt potulenta, decocta, succi, cremores, sorbitiones &c. Hæc, quot quot sunt, obstructions sensim sine sensu referant, solvunt repagula, vincunt obices, facilemque noxio humori sternunt viam, utquâ datâ portâ ille ruat.

V.

EFFECTUS tam foelices non sunt à purgantibus expectandi. Si quis purgationi, in affectibus Melancholicis, locus concedatur, is solum sub finem esto. Frustrâ clamitant, ejiciendus est morbificus humor. Quâ ratione potest absque purgantibus? Lenis purgatio intecum vic tractabilem ad exitum quasi invitat. Hæc, quem offendit humorem Melancholicum, amicè propellit. Non irritat excretioni imparatum. His credere verbis cæcutire est. Purgantia non agunt, nisi vellicando, irritando, conquassando. Purgatio quas sublevat partes deterit. Fœneratorum more, illa nocendo juvat. Vix aliquandò corpori, absque viscerum dispendio, prodest. In affectibus Melancholicis semper ea nocet, nêdum aliquandò proficit. Quid istud inquires? Tussiculosi, sputatores, catarrhosi sunt Melancholici, Redundant ergò humores serosi, purgatione solâ, educendi. Reipsâ humores serosi redundant: at verò ex eò duntaxat, quod ii à sanguinis substantiâ, vi morbi, non naturæ victricis conamine exprimantur. Incircò ægrotantem eò lædes magis, quò plus feri eduxeris. Ut sejunctæ sanguinis genuinæ partes in unum coaliscant, hoc opus, hic labor est. Unicus tamen hic esse debet medentis scopus, quoniam ab eo pender sanitatis restitutio. Id tutò, id jucundè

præstant diluentia. Salia mergendo eorum actionem coercent. Ea sui liquoris tenuitate, compactos induratoque globos evolvunt & explicant. Hi leviores facti, suo loco moveri incipiunt, assuetumque iter denud metiuntur. Sanitas tandem à diluantibus restituitur : arcetur à purgantibus.

Ergo Diluentia, in Melancholicis affectibus, purgationi præferenda.

VI

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes - Jacobus DE LA M. ANTONIUS CHAUMON M. Cesar COSTE.
PORTE. SABBATIER.
M. Thomas LE TENNEUR. M. Joannes-Franciscus DE LA- M. Joannes-Carolus MAUDUY
LOUETTE. DE LA VARENNE.
M. Felix VICQ D'AZYR. M. Henricus-Joannes BACET. M. Stephanus GROSSIN DU
NAUME.

V

Proponebat Parisiis, JOANNES-AUGUSTUS BERNARD, Diocesis Andeganiensis,
Doctor Medicus Andeganiensis & saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis
Baccalaureus.

A. R. S. H. 1790. AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QVILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1790.